

sed etiam vetera Subalpinae ditionis documenta conquirere, ac iis ad patrias antiquitates illustrandas uti; optandum autem omnibus, ut tam illustre, tam praeclarum, ac singulare de patria benemerendi studium, stabile apud illos, ac firmum, et ad seram usque aetatem permaneat. Quot enim uberes, ac praestantes ad gentis gloriam, ad publicum commodum fructus sperari jure poterunt? Ego certe iis omnibus me plurimum debere profiteor; nam ex communi ipsorum consensu nonnulla ex illorum tabulario deducere exemplaria, eaque in hac collectione in vulgus edere laudabili exemplo fuit concessum.

Atque hic esset locus eorum quoque omnium, qui me veterum scripturarum, ac codicum communicatione juverunt liberalitatem efferre, humanitatem praedicare. At cum ad omnia documenta, suisque locis majori qua potui verborum commendatione singulorum auctores nominaverim. Illud unum mihi nunc officium superest persolvendum, scilicet me omnibus devinctum profiteri, eisque maximas agere gratias. Quamvis vero omnium memorem me praestare oporteat, haud possum tamen, quin specialia nonnullorum in me merita peculiari laude prosequar.

Ac in primis mihi est laudandus R. P. M. Cavallerius domo Castri novi Burmiae, atque Minorum Conventualium s. Francisci Alexandrinae Provinciae, cui praefuit, decus, et ornamentum. Is ab eo tempore quo ipsum novi, sanctoque amicitiae foedere sum junctus, pro ea qua pollet eximia antiquitatis, ac in veteribus codicibus interpretandis experientia, quidquid per decem, et amplius annos Alexandriae tabulariis perscrutandis intentus reperit, humaniter ad me transmittit, nec unquam per litteras rogatus abstinuit, sed tantam in nitendum, quod semel admiserat, curam adhibuit, ut non mandatam, sed rem suam agere videretur. Quo factum est, ut ejus benevolentiae major hujus collectionis documentorum pars accepto sit ferenda.

Quid nunc dicam de Gaspare Slavone humanarum olim literarum in R. Nobilium Academia Professore? Is enim adeo fuit in mea haec studia propensus, ac benevolus, ut pretiosissima, quae ipse non sine ingenti labore, et industria paraverat vetera documenta ad antiquos Marchiones spectantia, maluerit mihi edenda prius conferre, quam ipse iis uteretur ad egregiam, quam adornavit de illis dissertationem, publicandam? Quae quamvis non in hac parte operis, sed in secunda proprium, ac peculiarem suum locum obtineant, malui tamen in antecessum tantorum ejus officiorum memorem hic me, ac gratum exhibere.

Par sane voluntas agit, ut Josephi Pavesii ex Theologorum Collegio Ethices Professoris, ac R. Bibliothecae custodis, atque singularis amici huic meo incepto gratificandi propensionem extollam. Ipse enim et Fr. Jacobi ab Aquis *chronicon mundi*, et nonnulla clarissimi nostratis scriptoris Thomae Terranei volumina legere concessit, in quibus non solum licuit illius docti, et laboriosi viri diligentiam, ac perspicax judicium admirari, verum etiam multa excerpere ad veterum Marchionum historiam, ac genealogiam illustrandam aptissima documenta, quae ejus nomine in secunda parte proferentur.

Quid vero poterò multa illa, atque eximia beneficia silentio praetermittere, quae Cl. V. Antonius Chenna Canonicus, ac Vicarius generalis Ecclesiae Alexandrinae mihi largitus fuit? Quamquam enim sciret me ejus de Archidiaconorum in Ecclesia Alexandrina absoluta potestate sententiae haud acquiescere; attamen quidquid e re mea esse posse novisset, illud se libenter mecum communicaturum per litteras monuit. Quod moderationis exemplum quis